

1523

*Laurentii
Campiegii
Pontificis
ad Venetos
Oratoris of-
ficia.*

placari, ac conciliari solet, navandam in primis operam curavit. Mox ad Christianos Principes literas dedit, quibus promunere sibi imposito hortabatur, ac monebat, ut illos tandem jactatæ, atque afflictæ Christianæ Reipublicæ miseresceret; atque ad Venetos ob eam rem Laurentium Campegium Feltrensem Episcopum miserat; quem loco Polensis Oratorem designaverat. Is enixe Pontificis nomine Senatum rogavit: *Ut qui cogitationes, consilia, actiones ad concordiam, pacemque direxisset, turbulentissima tempestate, qua Petri navis patenti pelago prebensa, atra bellorum, ac dissensionum nube omnia involvente, premeretur, ab iisdem consiliis non abhorret, quibus per tot ætatum seriem ingentem gloriam adeptus fuerat. Respiceret exundantia maria, terrasque tot hominum sanguine, qui pretioso Christi cruce redempti forent; Eubœam, Peloponnesum, Rhodium supplices ad victoria olim Venetorum signa manus tendere, ut ab infanda barbaræ gentis servitute vindicarentur; Pontifici statutum esse, animi ardore, & contentione summa conniti, ut Christianos Principes adversus communem, immanissimumque religionis hostem sancto fœdere connecteret, ac devinciret: Rempublicam vehementer hortari, ac rogare, pace cum Cæsare firmata, cum reliquis Christianis Regibus, ac Principibus arma sumeret; neque diutius torpescere ingentes quondam Venetorum civium spiritus pateretur, ut jugo barbarorum miserrimæ servitutis tot gentibus, urbibus, provinciis liberatis, regna ab illis per nostram socordiam occupata eriperentur; ac denique ex eorum manibus Dei Servatoris nostri universo orbi adorandum sepulchrum avelleretur: non ignorare magnos veterum avorum animos adhuc in Republica vigere; illustria de hostibus insignia ad propagandam religionem, atque imperium reportata, menti infixa esse; que licet hoc tempore ob clades superioribus annis a Republica acceptas, ob ingentes communis hostis terrestres, maritimisque copias, ob illa, que in eorum faucibus regna, ac provincias possidet, consopita jacere videantur; non ambigit Summus Pontifex Hadrianus, quin omnium Christiani nominis Regum, ac Principum armis excitata baud absimilia, præclara, atque egregia facinora cum Christiani Venetique nominis gloria sit editura. In hanc sententiam*